C TEMPERAMENTVM.

Serpyllum guſtu acre eſt, ob id calidum ualde, ita ut menſes & urinam moueat.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Sylueſtre efficacius & maiori calefaciendi ui quàm hortenſe, atque ad uſum medicinæ aptius. Menſes trahit, & urinam cit potum. Torminibus, ruptis, conuulſis, iecinoris inflammationibus auxiliatur. Aduerſus reptilia potum & illitum. Capitis dolores ſedat coctum adiecto roſaceo, & aceto madefactũ. Maximè uero lethargo & phrenitidi cõuenit. Sanguinis uomitum ſedat ſuccus eius quatuor drachmis cum aceto potus.

EX AETIO.

Serpyllum ita calefacit ut menſes & urinam ducat. Huius genus duplex. Sylueſtre efficacius calidiusq; hortenſi, atq; omnino uſus eius in medicina prę fertur. Prodeſt torminibus, cõuulſionibus, rupturis, inflammationib. iecinoris, reptilibusq;. Potum ac illitum capitis dolores ſedat. Madefactum autem aceto ac decoctum admixto roſaceo lethargicis, & diutinam phrenitim patientibus ſummopere cõgruit. Prę terea drachmæ unius pondere ex aceto bibitum, ſanguinis eiectiones cõpeſcit.

EX PLINIO.

Aduerſus ſerpentes efficax, maximè Cenchrin & Scolopendras terreſtres ac marinas & ſcorpiones, decoctis in uino ramis folijsq;. Fugat & odore, cominus ſi uratur, & contra marinorũ uenena præcipuè ualet. Capitis doloribus decoctũ in aceto illinitur temporibus, ac fronti cum roſaceo. Item phreneticis, lethargicis, contra tormina & iecinorum dolores. Folia obolis quatuor dantur ad lienem ex aceto. Ad cruentas excreationes teritur in cyathis duobus aceti & mellis.

EX PLINIO VALERIANO.

D Serpyllum calidum, ſimul nobis utile medicinæ uſus oſtendit. Capitis dolores coctum ex aceto & roſaceo tempori ac fronti illitũ mitigat. Serpentes & omnia animalia uenenata aduſtum nidore repellit, ideo & meſſoribus in cibo miſcetur, ut ſi fatigatos fortè ſomnus oppreſſerit, tutè quieſcant contra animalia quæ hoc tempore uenenatis hauſibus ſęuire conſueuerunt. Contuſi puluis ex ſcrupulis xij. in aqua datus tormina emendat, urinæ difficultates reſoluit, lienis quoq; iniuriæ idem puluis ex aceto mixtus occurrit. Nec minus cruentis excreationibus ſubuenit, ex duobus cyathis mellis & aceto temperatus.

DE ELYMO▸ CAP▸ XCIIII▸

NOMINA.

Panicum quare dictum.

ΕΛΥΜΟΣ Græcis, Panicum Latinis, Germanis Heydelpfenich/oder Fenich dicitur. Panicum autem à paniculis in quibus ſemen eſt, Latini appellauerunt.

FORMA.

Milij ſimilitudine proſilit, denis ut plurimum folijs luxurians, culmo penè in ſurculum extenuato, nutante, rubido paniculorũ faſtigio, prædenſis aceruato granis, aliàs purpureis, aliàs rufis, nigris aliàs, item & candidis.

LOCVS.

Satum facilè quouis ferè loco prouenit, leuem autem & ſolutam terram potiſſimum deſiderat. Nec in ſabuloſo duntaxat ſolo, ſed in arena quoq; naſcit̃, modo humidum cœlum, uel riguum ſolum ſortiatur.

TEMPVS.

Quadrageſimo die poſtquã ſatum eſt abſolui, ut omnia æſtiua, inter omnes conuenit.

PANICVM